



Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

81. Cur S. Willibrordus Ecclesiam non dedicarit honori primorum
Apostolorum Petri & Pauli? Cur Martini? Cur non S. Thomae?

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

DE PRIMIS VETERIS FRISIAE APOSTOLIS
 sit monasterium, cum in eo semper Canonici & numquam Monachi
 resederint, nisi id alio in loco (lib. 1. de Canonice cap. 12.) expedi-
 sum esset opportunius. Hæc Molanus diligentissimus Cano-
 nicalis siue Clericalis vitæ explorator & descriptor. Et
 sat de hac dissertatione, quam fusius protraxi ut infor-
 marem eos qui priscum Ecclesiasticorum statum igno-
 rant.

D I S S R T A T I O LXXXI.

Cur S. Willibrordus Ecclesiam non dedi-
 carit honori primorum Apostolorum.
 Petri & Pauli? Cur Martini? Cur
 non S. Thomæ?

Frequentissimè olim Apostolici Gentium Predi-
 catores primas Ecclesias instituerunt in honorem
 primorum Apostolorum. Quoniam enim Aposto-
 licam vitam functionesque agebant, primarios
 Apostolos tanquam Patronos sibi initio propone-
 bant: eorum precatione opera sua rigari, promoueri,
 augeri flagitabant: hoc ritu veram fidem, quam illi à
 Christo didicerant, mundoque annuntiarant, se infer-
 re significabant. Cur eos non est imitatus S. Willibror-
 dus? Cur saltem non potius in honorem S. Thomæ, quam
 Martini, Ecclesiam dedicarit, cum destructa, super cuius
 fundamenta ædificabat, antea S. Thomæ fuerit? Respon-
 detur, arbitrarium omnino fuisse & liberę optionis. S.
 Willibrordus interim erigendo Basilicam in memoriam
 S. Crucis vel Salvatoris summum Patronum Apostolicę
 virtutis, quique eminentiori modo fuit & est Apostolus.
 sibi præfixit, à quo omnis prædicantium gratia, à quo si-
 dei

dei initium & omnis salus, eo facto satis ostendit cuius fidem adferret, & in quem credere oporteret. Quod & S. Martino templum nuncupauerit potius quam Sancto Thomæ, Congruentie possunt reddi, quia S. Martini apud Deum pollutia, energia, Sanctitas per crebra miracula summopere eo tempore in Francia manifestabantur: ad eius sepulchrum Turonos densissime concurrebatur, plurimis ab ipso speciale erat auxilium, ita ut tota Gallica Natio in eius cultum quam maximè ferueret. Vnde tam potentem Aduocatum, qui & in vita insignis Apostolus existit, in Frisiæ agro elaborando conciliare sibi voluit S. Willibrordus, sperans simul tam Gentilibus quam conuersis Frisijs gratissimum fore eundem qui celeberrimis factis & recentibus erat nominatissimus & notissimus; noua singularia placent & alliciunt. Deinde Praesidiarij Traiecto à Pipino impositi, erant Franci, quibus non potuit non accepta esse domestici tutelaris electio. Nec prisco saeculo, nec nostro nouum est in oblitteratam praesertim memoriam, qualis erat Traiecti S. Thomæ, alterius substituere, & templorum patronos mutare. Petrus Opmerius supra addit hanc: ut viri militaris (S. Martini) exemplo, efferae Gentes (Frisorum) ad obedientiam fidei excitarentur, receptaque semel credulitati firmiter, ut ille, inhererent.

DISSERT-